



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

34 De exeptione declinatoria fori sæcularis compet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

debet pendente lite super clericatu, sed & pendente lite super ipsius criminis punitione. tametsi quidam iudices ecclesiastici conerunt Regia decreta intelligere, lite pendente super clericatu: quia ea finita nondum punio crimine liberu sit iudicib. ecclesiasticis, clericos iam per eorum iurisdictionem redditos & effectos immunes a iurisdictione seculari, item a carcere dimittere, vt delicta maneant omnino impunita, vt vere dici possit, in hisce clericis prima tonsura, nihil aliud ordinem hunc ecclesiasticum esse, quam liberam delinquendi licentiam, & immunitatem tutissimam, qua freti audaciores fiunt ipsi omnino laici. Quod satis est a qualibet Republica bene instituta alienum.

Sed & quoties remissio fit a iudice seculari, clericus ipse remittendus est cum custodiibus expensis ipsiusmet clerici, quem admodum notant Aufser in Clem. 1. de offic. ordin. qu. 2. n. 2. idem Aufserius in capella Tholosana 273. Nicolaus Boerius decis. 303. col. penult. ex Bald. in generaliter. §. his presentibus. C. de rebus creditis. ar. 3. text. in l. quoniam liberi. C. de testib. & in l. cum sepe. C. de erog. milit. anno. li. 12. quod si clericus sit pauper, remitte natus est expensis ipsius episcopi, qui remissionem petit, secundum eisdem. Et videtur notare Baldus in titu. de pace Constantie. §. si index.

Clerici autem prima tonsura, qui semel vsi fuerint fori praescriptione aduersus iudicem secularem, eiusque foram declinauerint, petentes causa remissionem, & personam ad iudicem ecclesiasticum, lege Regia indigni censentur publicis officiis secularibus. l. 17. tit. 3. li. 1. ordi. idque equissimum est auctoritate text. in c. sacerdot. ne clerici vel monachi. quo capite officia secularia clericis interdicta censentur. Huic auctoritati accedit ratio, quae deducitur a publica utilitate, cum esset maxime absurdum & iniquum, eos admitti ad officia publica secularia qui non possunt a iudicibus secularibus puniri, si deliquerint in officio. Siquidem clericus in minoribus etiam constitutus, qui ad officium seculare admittitur in eo deliquit, non poterit a iudice seculari puniri secundum glossam & Docto. in d. c. sacerdot. quam Opinionem dixit Communem esse, licet apud Gallos minime receptam, Aufser. in d. Clem. 1. de offic. ord. reg. 1. fallentia 17. tradit late, & optime Guiliel. Benedic. in c. Raynuitius. de testam. in verb. & vxorem. 2. decisio. nu. 447. qua ratione Regia lex. in d. l. 17. etiam si permittat clericos coniugatos non deferentes tonsuram, nec veites admitti ad officia secularia, prohibet tamen, ad ea clericos prima tonsura non coniugatos eligi & admitti: quod non satis diligenter seruatum haecenus fuisse, palam constat. Hinc etiam deducitur ratio ad pragmaticam constitutionem Ioannis Regis Secundi, qua extat ante huius Regni pragmaticas. l. 109. li. 3. ordi. tit. 1. l. 9. [hodie l. 4. tit. 4. lib. 1. Recop. Iest etenim statutum, clericum prima tonsura iurisdictionem iudicis secularis declinat, ipso iure priuatum esse omnibus, & quibuscuque stipendijs, muneribus, & officijs publicis, quae ab ipso Rege obtinuit. Aequum siquidem est, quod clericis officia, vel munera secularia publica & Regia non obtineat, si eius iurisdictionem est fori praescriptione declinaturus. Hac vero poena forsitan non obtinebit, vbi super ipsa exceptione fori declinatorio non fuerit pronunciatum, nec exceptio habuerit effectum, quasi ad hanc poenam non sufficiat solus conatus, nisi fuerit sequutus effectus. Quod ita visum est Bald. in l. si quis in suo in princ. ad finem. C. de inoffic. testam. & Fel. in tract. quando conatus. col. pen.

Est & illud hoc in tractatu commemorandum, Carolum Caesarem, Hispaniarum Regem anno Domini M. D. XXVI. [hodie l. 5. tit. 4. lib. 1. Recop. Ipublico decreto statuisse clericos prima tonsura, qui semel iurisdictionem secularem fori exceptione declinauerint, & fuerint ab eorum punitione liberati, non posse arma ferre, nec armis uti, etiam illis, quae sunt alioqui Regia lege laicis comuniter permittae: ac ideo posse per iudices seculares hisce armis hos prima tonsura clericos licite exspoliari. Extat hoc Regis edictum Hispaniae & rursus Granatae, inter huius Granatenis auditorij ordinationes, fol. 74. col. 2. quod quidem poterit examinari ex illa quaest. qua tractari solet, an clericus arma portantes possint puniri per iudicem secularem. Et sane de interdicto armorum vsu generaliter extat rubrica Codicis Iustiniani, vt armorum vsus in scio principi sit interdictus, l. br. 11. & in auct. de armis. vbi hac de re tradidit reinterpretes. & in l. armorum. ff. de verborum signifi. atque illic Alciatus & Caellia. Corta in memoria lib. in verbo. armorum. & alii statim citandi. Lex autem principis secularis, quae de interdicto armorum vsu generaliter lata fuerit in Reipu-

blica utilitate, dubio procul etiam clericos complectitur: cum & his iure Pontificio sint arma illa interdicta, quae solent frequentissime varijs legibus laicis permitti. c. clerici. de vita & honestate clericorum. Vnde palam sit clericos non posse arma portare, quae lege laicorum sint interdicta. text. opt. in c. 1. §. si clericus. de pace tenen. & eius. v. d. ar. de eo tantum articulo controuerti, poterit, an super hac re & interdictis armis clericus possint per iudices seculares puniri. Nam Ioan. de Platea in §. item lege talia. instir. de publi. ind. col. 3. & Ioan. Lup. in c. per vestras. de donationibus inter virum. & vxorem. 2. notab. §. 1. nu. 13. existimat poenam lege seculari statutam, & dictam portanti arma vetita, non posse peti contra clericum apud iudicem secularem, sed petendam esse apud ecclesiasticum etiam si pecuniaria sit. Quod mihi admodum placet. Imo fortassis tenebitur iudex ecclesiasticus poenam illam aduersus clericum exequi, sed poterit iuris canonici poenis, & pecuniaria multa eius arbitrio clerici punire. Apud Gallos ex priuilegio Romanoru Pontificum obtentum est, posse clericos per Regios iudices puniri poena pecuniaria propter armoru vsu lege Regia vetitum, quemadmodum tradidit Ioannes Faber l. additio. de episcop. audientia. Chastaneus in consuetud. Burgundiae, rubr. 1. §. 5. verj. Archid. n. 79. Carol. de Grassalia l. 3. regalium Francia, iur. 17. Aufser. in Clement. 1. de offic. ordin. reg. 1. fallentia 13. Guiliel. Benedic. in c. Raynuitius de testamentis, in verb. vxorem nomine Adelaian. 2. decisio. n. 436.

Vt cumque tamen sit, ipse censo, clericum quemcumque arma prohibita portantem posse per secularem iudicem, & ministrum laicae iurisdictionis armis his exspoliari, & priuari absque vilo metu excommunicationis: quia hoc ad secularem iudicem, & Reipublicae rectorem dubio procul pertinet, nec compelli poterit iudex secularis a iudice ecclesiastico arma illa restituere. Siquidem laica lex arma prohibere potuit: eaque prohibitio clericos etiam complectitur, vt probauimus superius. Et licet non possit iudex secularis punire clericum arma prohibita portantem, poena etiam pecuniaria, ipsa tamen arma exacte perpendantur, aut examinentur vt docet eleganter Corneus cons. 20. li. 3. cui adde Alexandrum in l. possideri. §. Neratius. ff. de acquir. possess. Rom. & Alberic. in l. 1. §. hoc rescriptum. ff. ad Syllanianum. & Bald. in l. 3. §. 1. de offic. praesect. vig.

CAPVT XXXIV.

Inquiritur adhuc, an quandoque possit a laicis Forum seculare declinari in criminibus puniendis.

SUMMARIUM.

1. Laicus qui simul cum clerico delictum commiserit, an possit seculare iudicium declinare?
2. Coniunctio societatis, & indiuiduitatis ratione, socius fruatur priuilegio sui socij & ibid. inuoluit. l. si communem ff. quomodo admodum seruatus amittatur.
3. Penitentes ex iudicio ecclesiastico sententia, non sunt quo ad alia crimina iudici ecclesiastico subiecti: vt necessario sint apud eundem accusandi.
4. Expenditur intellectus, c. aliud 11. 2. 1. 1.
5. Intellectus ad textum in c. ubi commissi §. nec non faciendi de haer. in 6.

Solet interdum, etiam a laicis iurisdictione secularis declinari ad effugiendam criminis punitionem, & ex ea causa plures disputantur, ac examinantur quaestiones, & inquiruntur casus, quibus laici immunes liberique censentur a iudicibus secularibus: ex quibus apud authores frequentissimus est ille, quo traditur, an iudex ecclesiasticus excluso prorsus seculari possit cognoscere de crimine commissio, & perpetrato simul a laico & clerico, non tantum ad puniendum ipsum clericum, sed & ad ipsius laici punitionem. Et sane quidam opinantur, cognitionem & punitionem criminis simul a clerico, & laico commissi ad iudicem ecclesiasticum pertinere non ad secularem, etiam quo ad laicum, vt tandem is sit ab ecclesiastico iudice,

V V V 2 non

non à seculari puniendus. Huius opinionis authores sunt Anton. à Prato. in l. 1. in fin. ff. de sentent. sine appell. re. cin. Marian. Socin. in consil. 12. lib. 1. idem Socinus in c. 2. colum. 4. de mut. petit. Felin. in c. 1. colum. 4. de præscript. Ferrat. cautela 10. Ferdin. Loazes in tract. de matrimoniis. o. 10. dubitatione. num. 20. Socinus Iunior consil. 34. lib. 2. colum. 1. Barth. Soci. in l. cum senatus. ff. de rebus dub. in fin. qui scribit hanc opinionem in praxi seruata fuisse. Idem se testatur Mediolani uidisse Chaffa. in consuet. Burg. rub. 1. §. 5. vers. Archidi. num. 70. eandem opinionem sequitur Koberthus Maranta de ordine iudiciorum. part. 4. distinct. 11. nu. 22. cum tamen itam nu. 24. rationem huius opinionis veram esse censet in indiuiduis non autem in diuiduis. Quod & Soci. sentit in d. consil. 12. colum. 6. sed & Fel. ac plerique alij hoc ipsum verum esse censent, quoties potest laicus condigne per iudicem ecclesiasticum puniri: cum alioqui sit puniendus laicus à iudice seculari. Hanc vero sententiã, quam tot authores sequuti sunt post Anton. à Prato, probare conantur multis, quæ societatis, & communionis causa fuisse iudicã, quorum mentionem latissimã faciunt Iaso. in l. si emancipati. Cod. de colat. & Pet. Rebuff. in authent. habita. Cod. ne filii pro patre. priuileg. 106. potissimũ huic opinioni suffragatur tex. in c. per tuas. de arbitris. vbi rationale societatis laicus potest arbiter esse de causa spirituali simul cũ clerico. Cuius decisionis præter Doctores ibi meminere Fel. in d. c. 1. col. 4. & Hipp. in sing. 180. qui palam sequitur opinionem Antonij de Prato Veteri. Est etenim ratio satis sufficiens ad responsum Pontificis ex eo, quod laicus non prohibeatur esse arbiter in causa spirituali, quia incapax sit. sed iure cuiusdam honestatis ratio cessare videtur, quoties simul laicus & clericus arbitrium susceperunt de re spirituali. Alioqui si laicus incapax esset, non posset in eum & clericum simul compromitti. l. Padius. ff. de arbitris. tamen si laicus censeri soleat incapax ad iudicandum iudicis autoritate de re spirituali, c. 2. & 3. de iudicis. Imò nihil refert quod compromissum de re spirituali fiat in duos laicos, simul & vnum clericum. Nam & fieri potest, vt constat in d. c. per tuas. quo probatur, actum indiuiduum nomen accipere à digniori parte, etiam si ea minor sit numero, & quantitate: quoties plures considerantur vt singuli: non vt collegium, quod Decius censet in c. ex literis de consil. exultans secus esse vbi plures considerari debent vt collegiũ: nam eo casu in indiuiduis denominatio fit à minori parte, licet ea non sit dignior. glossa celebris, & illic omnes in c. 1. de locato in verbo. sub excommunicatione. Abb. & omnes in d. c. ex literis. vbi Fel. & Dec. multa tradiderunt. ex quibus apparet hanc opinionem esse cõmunem. Quamuis Anton. Burgenfis in c. cum dilecti n. 14. de emptio. & venditio. autoritate text. in d. c. per tuas. & glan. c. quod in dubiis. de consecratione ecclesie vel altaris. & in l. 1. in prin. ff. de verb. obligat. in verbo stipulatio. probare conetur, collegium clericorũ simul & laicorum, dici ecclesiasticum, etiam si minor pars sit, & cõstet ex clericis. Quod si par sit numerus laicorum & clericorum, receptum est, vniuersitatem, & collegiũ à clericis nomen accipere, & ecclesiasticum cenferi. Et tamẽ adhuc decisio tex. in d. c. per tuas. non probat opinionem Antonij à Prato, cum in hac quæstione, quam tractamus, res diuidua sit, quo ad cognitionẽ causæ, & punitionẽ criminis: & ideo potest facillime iudex ecclesiasticus punire clericũ, & secularis laicũ absque vlla vtriusque iurisdictionis læsione. Adducitur item & pro Antonio. in l. si communem. ff. quem admodum seruit. amitt. vbi Iurisconsultus respondet, posse quem per socium retinere viam & eius vsum, quam per se non poterat. Sed id responsum refertur ad eam vtilitatẽ quæ diuidi saltem commode non potest: aut simpliciter indiuidua est. Nos vero hac in parte tractamus de re. & causã, quæ commode diuisionem admittit. Idcirco ego opinor falsam esse opinionem prædictã, nec video qua ratione iuste poterit à practicis quãdoque admitti, nisi id fecerint maximo studio fanedi laicis de crimine accusatis. Sic multis rationibus omnĩũ latissimẽ hoc ipsum probat Aymon Sauilliantus in consil. 232. lib. 2. cui accedit elegans tex. in l. si quis vxori. ff. de furtis. in prin. vbi in delictis socius criminis minime gaudet priuilegio socij. Nam si vxor & Titius à marito res furripuerint simul, Titius tenebitur actione furti, licet vxor ab ea libera sit, & solum teneatur actione rerum amotarum. Quem locum expendit contra priorem sententiã Io. à Nauizanis in sua Sylua nuptiali. li. 6. n. 38. Hanc vero posteriore opinionem receptam in praxi fuisse, & passim admitti, asseuerant Re-

buffus in d. authent. habita. priuilegio 106. Ioannes Rappellanus lib. 3. forensium institutionum c. 11. Philippus in pragmatica sanctione. tit. de concubinariis. §. ipsas. in verbo, arcere. in additionib. ad Chozman. Rurlusidem Rebuffus in proemio Regiarum constitutionum gl. 5. iurisdictione. §. 9. scribit, priorem opinionem nullquam in praxi seruata fuisse. Quod si contingat, & causam esse indiuiduam, & communem, si contingat, & causam esse ingrua distinctio, nec diuisio fieri inter socios, quorum alter fori priuilegium habet: tunc tota causa, etiam quo ad socios nõ habentes priuilegium, erit tractanda coram iudice illius, qui fori priuilegium habet: sicuti ex d. l. si communem. adnotatur Aret. consil. 25. col. 2. Barth. Soc. in consil. 82. lib. 3. vers. noua conclusio. Bald. in l. precipimus. C. de appellat. §. eadem obseruanda. notatur in l. 1. c. si in communem eademque causam integ. reuocatio postulat. et enim responsum Iuriscõsulti in d. l. si communem. intellegendum in indiuiduis: non in his, quæ diuidua sunt. Idem tenent Deci. in l. si emancipati. post alios. num. 9. C. de sacrosanct. ecclesie. Anagn. in d. l. si communem. Roman. in consil. 195. ad finem. Iaso. in consil. 238. col. vltim. lib. 2. vnde falsa profecto est, & omnino à iuris auctoritate aliena opinio Hippolyt. qui in d. singular. 180. existimat, fratres simul habitantes, & patrimonium commune habentes cum fratre, qui ratione clericatus, vel alia ex causa immunis est ab oneribus publicis ratione rerum indictis, itidem liberos esse, & immunes ab eisdem oneribus mixtis censibus vel indictionibus publicis. Nam cum onera ista possint commode distribui pro parte illius patrimonij adhuc indiuisi, quæ competit fratribus & sociis laicis, quique nullam habent immunitatis causam, nulla ratio patitur hos liberos, & immunes cenferi. Atque ita huic opinioni suffragantur expressim Spec. in tit. de clericis coniugatis. vers. quid si clericus. & Dec. in d. authent. cassæ & irrita. num. 9. & in d. l. si emancipati. num. 5.

Est in hoc eodem tractatu de laica potestate & iurisdictione inignis & elegans quæstio, quam scio semel satis disputatam & controuersam fuisse: scilicet, an penitentia, qui à iudice ecclesiastico per sententiam propter aliquod crimen ecclesiasticum damnati sunt ad agendam penitentiam, ea sub forma fuisse admitti ad ecclesiam, veniantque criminis consecuti sunt, possint à iudicibus secularibus, cum sint alioqui laici, ob alia crimina puniri, & ad punitionem capi, atque in seculari carcerem mitti? Extraneane tex. celebris in c. 1. aliud. 11. q. 1. quod reperitur in c. aliud de penit. dist. 1. ex epistolis Leonis Papæ I. Nam Gratianus in d. c. aliud 11. q. 1. ad fin. deducit ex ipsius diui Leonis testimonio hos penitentes non tantum in criminalibus, sed & in civilibus apud iudicẽ ecclesiasticũ conueniendos esse. Idem probant simpliciter Hostiensis in summa. tit. de foro compet. & ex præmissis patet. Specul. tit. de compet. iudic. adit. §. 1. vers. decimum septimum. Anton. Butri. in c. 2. de foro compet. col. 2. & illic Barb. nu. 61. hi etenim authores opinionem istam sequuti sunt absque vlla distinctione censentes, hos penitentes publice non posse per iudicem secularem puniri, nec cõdemnari etiam civiliter qui sunt ecclesiasticæ iurisdictionis: vt & alia personæ ecclesiasticæ.

Sunt tamen & alij, quibus placet hoc ita admittendum fore, modo intelligamus sententiam istam de solenniter penitentibus. Sic sane voluere gloss. in d. c. aliud quam Doctores inibi nec expressim reprobant, nec palam probant, licet sensim eam admiserint. Item Cald. in consil. 7. tit. de iudi. Repertorium inquisitorum, in verbo. penitentiam pecuniariam. Solennis autem penitentia est illa, cuius mentio fit in c. 50. d. fin. quæ maxime differt à publica & priuata: quemadmodum nos latius ostendimus lib. 2. Variar. resolut. cap. 10. num. 3. ex quibus, etiam si opinio Gratiani & aliorum vera foret, obtineret vtique tempore illo, quo solennis agitur penitentia: ea vero finita, nulla prorsus ratio est, quæ prænotatam conclusionem probet in illo, qui solennem egerit penitentiam: cum nec is clericus sit, nec clericus esse possit: nec vllum habeat fori ecclesiastici priuilegium.

Sed & Anton. Burgenfis in c. 2. col. vlt. de empt. & vend. obiter attingens huius quæstionis intellectu opinatur, Antonij Butrij sententiã procedere in eo, cui est iniuncta publica, & perpetua penitentia. per tex. in d. c. aliud. Atque ita censet, esse ita intelligentes omnes authores, qui illius capitula auctoritate prædictã tenuerunt opinionem.

Rursus Barb in d. c. 2. n. 61. asseuerat, non probari Antonij conclusionem in d. c. aliud. cum Leo Pontifex Maximus illic potius consilium, quam necessitatem aut præceptum tradiderit: & tamen veram esse ostendere conatur ex eo, quod publice penitentes sint personæ ecclesiasticæ. Quod nulli probatur in iure, & ideo falsum esse constat.

Sic & Innocentius in c. significan. de offi. delegat. aliter quæstionem intellexit, dum scribit: Penitentes esse sub protectione ecclesiæ, sic, vt sunt alie miserabiles personæ, vt tædem non possit ab eis declinari iudicium seculare, tamen si valeant & possint iudicem ecclesiasticum adire, quoties fuerint vi, potentia, vel iniuria oppressi: aut secularis neglexerit eis ministrare iustitiam. Qua de re nos tractauimus superius in c. 6. huius operis. qua ratione plane deducitur, Innocentiū velle, atque asserere, penitentes non esse necessario conueniendos, aut ascendendos apud iudices ecclesiasticos, imo posse id fieri apud seculares, neque eos habere ius declinandi forum seculare. Idcirco auctoritatem Innocentij sequuti expressim tenent penitentes indistincte posse apud iudicem secularem cōueniri, quo ad criminalia & ciuilia. Panor. num. 9. & illic Aret. col. m. 2. in d. c. 2. de foro competenti. Maria. Soci. in c. 1. eod. tit. versiculi. decima declaratio. num. 13. ex iunioribus optime, ac diligenter Iacobus Septimacensis Regius in Pintiana curia consiliarius in Catholicis institutionibus cap. 46. Huius opinionis ea mihi placet ratio, quod secundum regulam iuris laici subsint quo ad criminalia & ciuilia iudicibus secularibus: & nulli iure canonico, vel ciuili ab hac regula publice penitentes reperitur exempti, & immunes. Huic rationi accedit maximum & perniciosum Reipublicæ dispendium, quod dubio procul ex contraria opinione publicæ discipline, & scelerum punitioni contingeret. Etenim cum à iudicibus ecclesiasticis ordinariis & episcopis laici possint admitti ad publicam penitentiam, facillime profert multis laicis ministrari, & exhiberi delinquendi auidacia, nullam seueram, nec grauem timentibus punitionem.

Non obert huic posteriori sententiæ textus in d. c. aliud. varie liquidem intelligitur, etiam ab authoribus prioris opinionis: atque ideo nō erit adeo facile iudicare, quænam sit frequentiori suffragio recepta sententiæ: cum quidam eum locum de solenniter penitentibus, alij de publicam, & perpetuam agentibus penitentiam: alij, de omnibus intellexerint, quin & quibusdam placuerit, illic non probari conclusionem. Quo fit, vt saltem hoc sit maximum argumentum, non satis tutam esse opinionem istam, quæ ita incertam probationem habeat. Nihilominus ille textus intelligitur, vt potius consilium det, quam præceptū tradat: quali consilium sit ipsi penitenti cōmodum, iudicem ecclesiasticum adire, non secularem, quod Barbat. notat d. n. 61. cuius interpretatio minime procedit vel ex eo, quod nullo pacto consilium cōueniat, vbi necessitas iuris adest. Nam si penitens actor est, omnino debet reā vocare apud ipsius rei iudicem. nec est in eius arbitrio hunc vel illum iudicem eligere, quemadmodum fatentur omnes in d. c. aliud. & probatur multis in locis vtriusque iuris. Quod si ipse penitens reus sit, is certum iudicem habet, quem declinare non poterit, cum sit satis apud proprium iudicem conueniri, & ideo si actor penitentem conueniat apud illum iudicem, qui eius est proprius, non est in eius arbitrio iudicium illud declinare. Quamobrem non continet prædicta interpretatio, si de consilio velimus tractare, vbi nulla electio alioquin iure datur ipsi penitenti, cui necessitas incumbit, vel ad agendum, vel respondendum corā certo iudice. Igitur cum datur consilium ad electionē, quæ penitenti non incumbit, nec competit, absurdum videtur, responsum Leonis Papæ ita interpretari, vt consiliū detur penitenti. Nisi constitueremus, penitentem habere duos iudices, quorum alterum agendo, vel defendendo posse libere eligere, quod non probatur iure, nec probari potest. his adde quæ ipse notauit lib. 1. variar. resp. c. 18. n. 6. quō in loco de electione plurium iudicum tractauit.

Secundo, intelligitur Leonis Papæ responsum à quibusdam ita quidem, vt obtineat in illis religiosis, qui olim dicti fuerunt penitentes, publico ipsius instituti nomine: quorum mentio fit in c. de his. & cap. sequenti 33. quæst. 2. & in Concilio Agathensi cap. 11. & in Concilio Toletano 4. cano. 53. Hi etenim cum religiosi sint, & vere religionem fuerint professi, mirum non est, quod sint exempti à iurisdictione

seculari ecclesiasticæ tantum subsint quod probat Iacobus Septimacensis in dict. cap. 16. num. 18. quemadmodum & in simili de Eremitis profitentibus penitentiam, tradit Aretin. in dict. cap. 2. de foro compet. nu. 12. scribens Communiter receptum esse, hos iurisdictioni tantum ecclesiasticæ, non seculari subici. quod gloss. notauit in cap. qui vere. 16. quæst. 1. & in l. 2. ff. de in ius vocando. quamuis Abb. in dict. cap. 2. nu. 10. Cardin. in clem. per literas. de præbend. & Auferius in clem. 1. de offic. ordin. regula 2. fallentia 33. num. 37. teneant contrarium. & id seruatum fuisse in praxi asseueret Aufer. eorum etenim opinio procedit in simplicibus eremitis, non in his, qui sunt eremitæ penitentium religionem professi. etiam si gloss. prædicta. & gloss. in c. nulla. 93. dist. in priorem opinionem abique vlla distinctione probauerint. & Innocentius in c. cum ad monasterium de statu regula. sic nuper, nempe Anno Domini MCCCCXC. exordium habuit apud Lutetiam Parisiorum ordo Penitentium feminarum, authore Ioanne Textore minorita, vt scribit Robert. Arboricensis in tract. de tuendo colibatu, Tomo 2. qui etiam commemorat, hoc institutum atate beati Ludouici fedem tenuisse prope muros Parisienses in cœnobio diui Antonij Campensis: & tamen labentibus annis illis successisse conuentum virginum, qui hodie extat sub Cisterciensium regula. Sed an hæc penitentes feminae pertineant ad iurisdictionem ecclesiasticam, constabit ex earum regula, & religionis professione. Ipse vero non possum mihi aliquo pacto persuadere restringendum fore diui Leonis responsum ad religiosos illos, qui re, & nomine penitentes ex peculiari religionis, & ordinis instituto dicebantur. Nec enim de his Leo Papa cogitauit, sed de penitentibus laicis, quibus liberum erat res seculi tractare. loquitur euidenter, non de religiosis ordinem certum, seu institutum aliquod religionis profitentibus. Vnde secundus hic intellectus non satis conuenit præcitæ Pontificis responsioni.

Tertio Pan. in d. c. 2. n. 9. aliter existimat intelligendū esse textum in d. c. aliud. asseuerans, penitentem posse conueniri apud iudicem secularem: licet ipse possit agere contra quemcunque coram iudice ecclesiastico. Quæ quidem interpretatio ex eo displicet Barbaræ ibidem, quod opinetur, non posse hæc duo simul constare, penitentē actorem posse agere apud iudicem ecclesiasticū, & eundem reum posse conueniri apud secularem: atque idem mihi videtur, si constituamus, penitentem esse & censeri personam ecclesiasticā. Cum si hoc iure, quia persona ecclesiastica est, potest agere apud ecclesiasticum, poterit fortiori ratione apud eundem conueniri, & declinare forum iudicis secularis, quamuis Panor. hunc sensum habere possit, & vere habet, quod penitens & miserabilis persona possit agere apud iudicem ecclesiasticum, licet teneatur conuentus respondere coram seculari. Etenim in pauperibus & miserabilibus personis possunt hæc duo procedere, & obtinere vt colligitur ex Innocen. quem citat Panor. in d. c. significanti. bus. & nos obiter diximus superius in c. 7. & tamen nō omnino cōuenit Panor. intellectus, quia penitens nō est persona ecclesiastica, nec vt miserabilis poterit regulariter corā ecclesiastico iudice agere, quemadmodū paulo ante probauimus: vnde falsa est omnino, nec probatur à Doct. opinio glo. in d. c. aliud. in 2. intellectu. dum illud responsum intelligit quoties, penitens reus est. Nam omnes fere, quorum superius meminimus, paucis exceptis, dum diligenter examinant verum sensum c. aliud. plane illud intelligunt in penitente actore, non in reo, vt ex modo traditis, & statim explicandis constabit.

Quarto frequentiori Doct. suffragior responso Leonis Papæ in actore intelligitur: vt tandem penitens, si causam habeat, quam forsitan negligere non debeat, possit reum vocare ad ecclesiasticum iudicium. eaque vocatio sit necessaria, quoties reus ipse clericus est: at vbi reus sit laicus, consilium potius, quam necessitas inducatur, & id consentiente reo, non alias: cum non habet maius priuilegium penitens, quam clericus sacerdos, qui laicum cum debet necessario conuenire apud iudicem laicum c. cum sit generale. de fore compet. c. experientia. 11. q. 1. Ne quidquam vrget penitentibus fauor, vt reus inuitus ad alienum trahatur forum, fiatque eidem, ac iudici seculari iniuria: cum potius abstinere debuisset penitens, dum penitentiam agit, ab actione proponenda, quam damnum & iniuriam irroget alteri cum inuitum trahendo ad eum, qui eius iudex non est.

Atque ita hunc intellectum tenuere gl. in d. l. aliud. in ibi Dom. Præpos. & Card. à Turrecremata post alios, quorū sententia mihi probare videtur tacite Arc. in d. c. 2. col. 2. & expressim Septimacensis in d. c. 46. nu. 19. qui citat & ad hoc ipsum alterū eiusdem diui Leonis locum ex epist. 94. ad Episcopos & presbyteros intra Thraciā cōstitutos. in cuius epistolā calce sic ait: Sane si clericus laicū pulset, prius se audiri ab episcopis possat, tum si petitioni suā laicum viderit obviare, ex permisso episcopi sui in seculi moderatores disceptatione cōfligat. Hæc sane sunt, quæ à multis adnotari solent circa veram interpretationem epistolæ diui Leonis Papæ, cuius pars à Gratiano adducitur in d. c. aliud.

Forſan eius capitis intellectus apertius cōstabit, si literam, vt extat apud Leonem Papam, hoc in loco subiiciamus, ex epist. 90. ad Rusti. Narbonensem Episcopū, c. 8. egerat enim sancti illi Pontifex de his, qui pœnitentiā agere differunt, segnitie istam à dæmonis persuasionē tenentem hominum mentibus illapsam, impetissimè reprobās: tandem subdit, Aliud quidem est, debita iuita repositere, aliud propria iurisdictionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem, oportet multis, etiam à licitis abstinere, dicente Apostolo; *Omni mihi licet, sed non omnia expediunt, unde si quis pœnitentiam habeat causam quam negligere forte non debeat, melius expedit ecclesiasticum, quam forense iudicium.* Hactenus Leo Papa.

Ex cuius contextu apparet manifeste, si Apostoli verba quibus vtitur, considerentur, & deinde distinctio iusta reposita à contemneute propria perfectionis amore, diui Leonis epistolā necessariō intelligenda fore in actore, nō in reo. Huc etenim pertinet totus responsionis contextus: nec potest commode aliud deduci ex ipso pœnitissimo Pontificis tenore: cum actorum detur, nō reo agendi libertas, electio & arbitrium: de quibus illic manifestissime agitur.

Sic & illud cōstat, in eodem capite arbitrio, & electioni pœnitentis committi actionem ipsam coram iudice seculari, vt ecclesiastico secundum communem, ita tamen, vt quamuis non peccet nec crimen committat agendo apud iudicem secularem, melius tamen faciat, si coram iudice ecclesiastico negocium profequatur.

Hinc sequitur: non probari autoritate Leonis Papæ, etiā si sequamur cōmunem eius interpretationem, pœnitentem publice, ac perpetuo ita esse subditū ecclesiasticæ iurisdictioni, quod non possit apud secularem iudicem cōueniri. Non enim loquitur Leo Pontifex in reo, sed actore. Nec illic datur libertas declinandi iudicium seculare in præiudicium eius, qui pro iure proprio exigendo pœnitentem vocauerit ad eum iudicē, à quo nulla lege vel canone expressim immunis, & liber censetur. Atque hæc quidem dicta sint iuxta eum sensum, quem Archidiaco. gl. Dom. Præpos. & Card. à Turrecremata, & plerique alij tradidisse Leonis Pontificis maximi responsum.

Ipsè vero minime prætermittat & aliter Leonis Epistolā accipere, ac interpretari. Sic quidem, vt cōstituamus pœnitentē ex eo velle pœnitentiā differre, quod agere decuerit pro rebus propriis apud iudicem exigendis forensi strepitu, & actione. Nam quilibet potest iustissime repositere quæ sibi iure debetur: tamen si perfectionis sit, hæc temporalia remittere, & cōtemnere. Potissimè tamen pœnitentibus conuenit, hac vti perfectione, & id expedit, quoties differri per strepitū iudiciale pœnitentiā contingit. quibus sane perpenſis, etiā si pœnitenti liceat actione forensi vti pro causa, quā forſan negligere non debeat, melius tamen erit ex cōsilio Leonis Papæ iudicium ecclesiasticum pœnitentiæ, quā forensē, id est rerū exactionem, expetere. Etenim non arbitror Pontificem sanctissimum in præcitata epistola cōstituisse discrimen inter iudicium seculare & ecclesiasticū, sed inter iudicium pœnitentiæ, & forensē: cum huic distinctioni conueniant omnia, quæ ab eodem Pontifice traduntur. Nec potest dubitari, forensē iudicium recte dici, iudiciū fori exterioris etiā si ecclesiasticum sit, & form. de verbor. signifi. est igitur diui Leonis responsio sic accipienda, vt ecclesiasticum iudiciū exponamus, id est, iudicium pœnitentiæ: forensē autē id est, iudicium exterius pro rebus petendis. Denique melius erit & consultius pœnitentibus exactionem forensē, etiam iustam differre, quam eius causa pœnitentiā ad tempus remittere.

Gratianus autem in d. c. aliud. versic. non ait, minime tractat de pœnitentibus: sed ex multis autoritatibus per eum ad-

ductis colligit in ciuilibus, & criminalibus apud iudicem ecclesiasticum clericum esse conueniendum, non apud secularem: nec de pœnitentibus verbum aliquod illic expressum, aut subintellectum extat.

Illud vero in hac quaestione disputari solet, An hæretici ecclesiæ reconciliati, qui habitum gestant publice pœnitentiū, sint sub iurisdictione inquisitorum, vt & pro aliis criminibus, quæ ab hæresi distincta censentur, ab ipsis tantum inquisitoribus puniri debeant, non ab aliis iudicibus ecclesiasticis, vel secularibus, & plane, si quaestio ista est examinanda, & definienda ex autoritate Leonis Papæ, satis constat, quid sit hac de re omnino respondendum. Forſan poterit aliis autoritatibus, & rationibus persuaderi hos pœnitentes ab ipsis inquisitoribus puniendos fore, non ab aliis iudicibus: quæ & si mihi hactenus fuerint incognita, tamen pro arbitrio cuiusque iuxta Reipublicæ utilitatem, & cōmodum expendenda sunt: atque ideo erit postulanda decisio, Regiæ autoritate stabilita præmissa cōsultatione à summis curiæ Regiæ cōsiliariis, quibus hoc negocium & alia cōmissa sunt, quæ ad fidei Catholicæ cultum, & tutelam pertinent. Quos minime verebor admonere: cogit enim Reipublicæ zelus, ne liberam perniciosi hominibus, & semel Christianā religionem perdidit præsentem delinquendi occasionem, audaciā, atque immunitatem & nihilominus illud cōstanter asseruere non dubitabo, nihil ad huius quaestiones decisionem pertinere textum in c. vt commissi. §. nec non facienda de hæreticā 6. cuius hic est literæ contextus. Nec nō faciendi à quibuslibet assignari vobis libros, seu quaternos, & alia scripta, in quibus inquisitiones factæ ac processus per quoscuque autoritate Apostolicæ sedis vel legatorum eius habiti contra hæreticos continentur: & illorum, qui vestris mandatis obedientes humiliter stant propter hæresim in carcere vel muro conclusi, pœnam vna cum prælatis, quorum iurisdictioni subſunt, mitigandi vel mutandi, cum videritis expedire. Hæcenus Bonifacius octauus illa siquidem verba: quorū iurisdictioni subſunt: ad prælatos palam referuntur, & referenda sunt, vt tandem constat, illos prælatos simul cum inquisitoribus habere ius mitigandi, vel mutandi pœnā, quorū ipsi accusati, & hæretici iurisdictioni subſunt, nō alios. Deinde, quamuis ea verba forent referenda in ipsos inquisitores plane intelligi debent quo ad punitionem hæresis, & quo ad ea quæ pertinent ad hæresis crimen, nō quo ad alia: quemadmodum omnes homines vnius prouinciæ sunt subditi inquisitoribus illius, & eorum iurisdictioni quo ad hæresis punitionē, non quo ad alia crimina, & præterea illic tractat summus Pōtifex in specie de mitiganda, aut mutanda pœna semel hæreticis post reconciliationē imposita. Nam licet alioqui pœna à iudice per sententiam nominatim inflicta non possit per eum mutari, nisi incontinētē l. Paulus in l. ff. de re iudic. quā latissime explicat Fel. in c. qualiter. in l. de accusat. Pœna etenim arbitrio iudicis mitigari potest. Lexi. senior. C. ex quib. causis infamia irrog. l. quid ergo. §. pœna grauior ff. de his, qui not. in infam. modo id fiat ante sententiam gl. Communiter recepta in d. §. pœna. tamen in crimine hæresis hoc est speciale, vt etiam post sententiam possit iudex pœnam mitigare, & mutare, si id viderit expedire. textus elegans in c. commissi. quem passim Doctores ibi ad hoc ipsum adnotarunt, & Gonzalus à Villad. in tract. de hæret. q. 17. nec est ad hoc necessariū, quod hæc mitigandi pœnæ facultas in ipsa sententia fuerit à iudicibus inquisitoribus excepta, aut reseruatā: ceteri siquidē iudices possunt regulariter in sententia sibi ipsis reseruare diminutionem pœnæ, ipsiusque declarationem: modo declaratio contraria non sit pœnæ per sententiam definitæ: quemadmodum tradidit Bald. in auth. interdictum. in fin. C. de episcop. & cleri. & Fel. in d. c. qualiter. in l. de accusat. 37.

CAPVT XXXV.

De rebus & negociis Ecclesiasticis, quæ solent apud huius Castellani Regni prætoris frequenter examinari.

SVMARIA.

1. Causa possessoria rei spiritualis, an sit temporalis, & an possit per iudicem secularem tractari.

2. Decimarum causa quandoque potest apud iudicem laicum expiri.